

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3696

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Avranches (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Avranches (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1269, juillet

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, accorde au doyen et au chapitre cathédral d'Avranches d'élargir les maisons des dignités de l'église d'Avranches sur les murs de la cité, à moins qu'ils ne détériorent la fortification de ladite cité.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 745, p. 167.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos dilectis nostris decano et capitulo Abrincensi, ex regia liberalitate, concessimus ut usque ad muros nostre civitatis Abrincensis domos suas quas habent ibi prope, quam modo inhabitat magister Radulphus de Tevilla, decanus Abrincensis ; domum quam modo inhabitat Galterus penitenciarius Abrincensis ; domos eciam quas modo inhabitant magistri Thomas Batfort, Michael Caresmel, Andreas Ad-Pedem, canonici Abrincenses, domum eciam quam modo inhabitat magister Guillelmus de Thoreio, archidiaconus Abrincensis, necnon domum quam modo inhabitat Arnulfus de Supino, canonicus Abrincensis ; item, ex alio latere civitatis ejusdem, domum quam modo inhabitat magister Thomas Goelon, thesaurarius Abrincensis, domos etiam quas modo inhabitant Richardus de sancto Hylario et magister Herveus de Ratines, canonici Abrincenses, possint pretendere, et supra dictos muros edificare, ita tamen quod, ex edificiis hujusmodi, fortalia dictae civitatis non deterioretur, sed potius augmentetur, et ita etiam quod nos et successores nostri, et mandatum nostrum dictis edificiis possimus uti libere, et pro defensione, custodia et tuacione dictae civitatis nos juvare sine impedimento et contradictione quacumque, murique nostri remaneant et totum jus quod habemus seu h[ab]ebamus in eis et justicia, sicut ante ; retinemus etiam nobis et successoribus nostris potestatem emendandi dictos muros in dictis locis, secundum quod nobis placuerit, et faciendi tornellas et alia pro nostre libito potestatis que faciunt vel facere possunt ad munitionem civitatis predicte. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Constanciis, anno Domini M° CC° sexagesimo nono mense julio.